De atropa belladonna ... / [Peter Johann Andreas Daries].

Contributors

Daries, Peter Johann Andreas, 1746-
Plaz, Anton Wilhelm, 1708-1784.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Lipsiae] : [Ex Officina Langenhemia], [1776]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rcrqjd9k

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

34336
W 571

DE

ATROPA BELLADONNA

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. ANTONIO GVILIELMO PLAZ

THERAP. P. P. ORD. FACVLT. MED. DECANO,
ACADEMIAE ET NATION. SAXON. SENIORE, DECEMVIRO,
MAIOR. PRINCIP. COLL. COLLEGA, ACAD.
IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SOCIO

PRO GRADV DOCTORIS

AD D. XXX. AVGVST. MDCCLXXVI.

DISPVTABIT

AVCTOR

PETRVS IOANNES ANDREAS DARIES

PARCHIMO-MEGAPOLITANVS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31912576

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

DVCI MEGAPOLITANO

PRINCIPI VANDALORVM SVERINI

ET RATZEBVRGI

COMITI SVERINI

TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDI

DOMINO &c. &c.

PATRIAE PATRI

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

SPECIMEN HOC INAVGVRALE MEDICVM

DEVOTISSIMO MENTIS CVLTV

CONSECRAT

TANTI PRINCIPIS

SVBIECTISSIMVS OBSEQVIOSISSIMVSQVE SERVVS

PETRVS IOANNES ANDREAS DARIES.

Quum mos in academiis receptus exigat, vt, qui ad altiora adſpirat, profectuum ſuorum ſpecimen edat publicum, hac in Diſſertatione, medico quidem non indigna, ſed forſan parum terſo tamen ſermone conſcripta, quam iudicio orbis litterarii humaniſſime offero, minime de Venenis omnium trium regnorum, nec de Venenis vegetabilibus in genere, quum nimis ampla foret, et a tramite propoſito aberrarem, dicere mecum conſtitui; ſed de vnius tantum plantae, ſc. *Atropae*, *Belladonnae* LINNAEI hiſtoria, vſibus et noxis, poſt tanta in famoſa hac planta experimenta collecta, pro ingenii mei modulo, diſſerere mihi licebit. Varii quidem exiſtunt autores, qui de *Belladonna* ſcripſerunt, vt SICELIVS *Diatribe botan. medic. de Belladonna, Ienae 1724. 8.* TIMMERMANNVS *Pericul. medic. Belladonnae, Rintel. 1765. 4.* ALBERTI *de Belladonna tamquam ſpecifico in cancro, Halae 1739. 4.* FABER *Strychnomania, Aug. Vind. 1677. 4. c. fig.* GREDING *de Belladonnae viribus in icteri curatione.* GATAKER *Obſervations on the internal uſe of the Solanum. London 1757. 8.* aliique, ſed ſimul etiam recenſendi ſunt

illi, qui tantum collectores fuerunt, nihilque noui dixerunt. De Venenis in genere, LINDESTOLPE autor classicus dici meretur, aliique, quorum nomina, euitandae taediosae prolixitatis caussa, silentio praetermittam. Farrago librorum, Venena tractantium, tanta est, vt hoc seculum Cel. HAHNIO, *toxicophilum* appellare placuerit, quod appositissimum videtur esse nomen. Quum tamen in illo nomine iustam quandam eorum, qui Venena disquirunt, criminationem haud videam, quo minus et Ego de *Belladonna* Veneno perquam efficaci, nec minus medicamentoso dicam, nil impedire videtur, quum felici auspicio de *Belladonnae* effectibus aliquid noui obseruauerim, mihique dictum fuerit, nullam esse contemnendam obseruationem circa corporis nostri aliorumque mutationes, quae artis salutaris incrementa inuentis suis promouere possent. Legi maxime venenatam esse *Belladonnam*, a cuius interno vsu quilibet prudens medicus abstineat, BLACKWELL. *hist. stirp. Cent. VI. ad tab. 564.* immo LEWIS *Mater. med. 1771. 4. p. 550.* gratulatur, illam omni iure abrogatam, et in Belgio ob irrita multa tentamina etiam plane reiectam esse, VAN DER HAAR *Over de Knierknoesten Kanker - Gezwellen, p. 85.* His omnibus ab eo consilio de *Belladonna* scribendi auocari poteram, verum enim vero, quum si vel maxime a *Belladonna*, vt medicamento abstinerent medici omnes, eandem tamen, vt venenatam et funesto saepius effectu corpus laedentem examinare necessum erit. Quod si et Ego quid illorum laboribus adiicerem, qui ante me de eadem memoriae prodiderunt quicquam? Num reprehendendus videar? Quum quaeuis regio herbis abundet venenatis, quae et hominum et brutorum sanitatem laedunt STENTZELII *Diss. de Venen. acut. p. 36.* nostris temporibus Cel. STOERCKIVS creberrima pericula cum plantis venenatis in generis humani vtilitatem felici ausu suscepit, vt noua detegeret remedia, et inde potissimum commendationibus exornauit. Hac in re etiam legi meretur ZAGONI *de inuentis huius seculi in arte salutari*

tari nouis, Vltraiect. 1764. 4. Non ſolum Cicutam, ſed et Aconitum, Colchicum, Hyoſcyamum, Stramonium, Flammulam Iouis, Pulſatillam nigricantem, cet. explorauit. Adeo ex mineralibus ſalia mercurialia, ipſumque arſenicum in medicamentorum numerum tranſierunt. Ad *Belladonnae* ancipites vires explorandas Viri Cel. LAMBERGEN *Diſſ. ſiſtens ephemeridem perſanati carcinomatis, Gröning. 1754.* DARLVC *in Vandermonde Journal de Medecine, T. XI. Paris 1760. 8. p. 509.* EVERS *Berliniſche Samml. T. V. Berlin 1773. p. 565.* SCHMVCKER *Vermiſchte chirurg. Schriften, Berlin 1776. 8.* minime alto contemnunt ſupercilio, de confirmando innocuo et ſalutari vſu *Belladonnae* propria inveſtigare experimenta, et e ſuo exilio ad tutorum medicaminum cenſum reduxerunt, quorum effectus ſalutares commemorati mihi anſam praebuerunt, cum HAHNIO *in orat. De vſu Venen. in medicin.* quaeſtionem proponendi: an honeſto medico liceat, Venenis vti? Fateor, rem eſſe copioſiorem, quam vt breui ſpatio omnibus in partibus poſſet explicari, ſi elegantiae ſtuderem; verum operam dabo, vt res ipſa clara et intellectu facilis fiat. Si igitur aliquantulum a Diſſertationis elegantia recedam, mihi ignoſcendum cupio, rei enim perſpicuitati magis, quam ornato ſermoni ſeruiendum eſt. Quo vero *Lector* totum ambitum eo melius vno quaſi intuitu capere et diiudicare poſſit; ordinis, quem ſecuturus ſum, ea erit norma, vt primo de *Belladonnae* diuerſis nominibus, dein de eius characteribus botanicis, porro de principiis eius conſtitutiuis et praeparatis officinalibus, denique de effectis tum ſalutaribus, tum venenatis exponam, atque potiſſimum in viribus radicum, foliorum, baccarum, ſeminisque haeream, additis iis, quae poſt mortem ſectio detexit mutationibus in corporibus *Belladonnae* vi exſtinctis. Adiiciam dein, quae ipſe obſeruaui et tentaui, vltimoque de *Belladonnae* antidotis dicam.

§. I.

Onomatologia.

Vt rem ab ouo ordiamur, neceſſum erit, vt primo de huius plantae nomine conueniamus, de cuius etymo, ne philologiae elegantias inſuper habere videamur, quaedam ſunt praemittenda. Atropa Belladonna *Linn.* eſt Solanum melanocerasum *Bauh.* Graecum eſſe hoc nomen, quisque facile animadvertit, qui vel primis tantum labris politam Graeciae litteraturam deguſtauit, vbi Στρυχνον μελανοκερασον audit. Belladonna *Tourneſ. Cluſ. Matthioli, Tragi, Dioſcorid. Raii.* Atropa *Royen.* Solanum furioſum, *Camerar.* Letale, *Lobel. Dodon. Cluſii. Thalii.* Solanum maniacum multis ſ. Belladonna *I. B.* Solanum bacca nigra, ceraſi ſimili, *Tabern.* Solanum coſmeticum, *Weinman. Hoffm.* Opſago, *Gerard.* Pulchra mulier, *Tourneſ. Germanis:* Wald Nachtſchatten, Schlafbeere, Tollbeere, Irrbeere, Walkenbaum, Marienkraut, Tollkraut, Tollwurtz, Tollkirſchen, Schweintodt, Saukraut, Wuthbeer, Teufelsbeer, Willbeer, Wiedbeer, Windbeer. *Anglis:* Dwale, deadly, raging or ſleeping Nightſhade. *Gallis:* Morelle marine, Belledame. *Italis:* Solatro maggiore, Belladonna. *Belgis:* Groote Nachtſchaad oft Dulcruyt, Dulle Beſien. *Hiſpanis:* Yerva mora major. *Luſitanis:* Ayura, Erva mora. *Bohemis:* Lilek Wetſy, Pſy Wino. *Polonis:* Pſinki, Moszenky, Pſie Wiſnie, Michonky. *Hungaris:* Zepzolo. *Danis:* Natskade, Sovv Boer, Swine urz, Hunde urz. Mirari ſubit, cur *Italis* et *Hiſpanis* virulentiſſimum hocce vegetabile *Belladonna* audiat, quod tamen adeo tetri eſt odoris, vt ne bruta quidem illud praetereuntia deguſtare ſoleant, ſed cane peius et angue fugiant. Scriptores hanc aſſerunt cauſſam, quod ex eius ſucco vel aqua deſtillata fucum conficiant mulieres Italicae, quo faciem oblinant, decorent, et ex rubicunda pallidam efficiant, frigoris vehementia, RAII *hiſt. plant. Lond. 1686. fol. l. 13. c. 23. p. 680.* Alii hanc ob rationem credunt, quod in ſomnis pulchras virgines feminasque oſtendet,

THE-

THEOPHR. *hist. plant. illustr. a Bodaeo a Stapel. fol. p. 1078.* APVLEIVS vero contendit, hoc nomen esse corruptum ex Bellonaria. Nomen letale, somniferum, furiosum, maniacum, a symptomatibus commemorandis accepit.

§. II.

Genus et definitio.

Ob affinitatem externae et internae formae atque effectuum laedentium eo Autores diuersos induxit, vt vegetabilia non pauca *Solani* titulo insigniuerint. Inde veteres botanici fere omnes *Belladonnam* ad *Solani* genus retulerunt, quo etiam hoc nomen cum epitheto accepit. Sed rei herbariae restaurator, Ill. LINNAEVS, non ex arbitrio, sed ex vera diuersitate a *Solani* genere separauit *Belladonnam*, dum nec florendi, nec baccas producendi modo *Solanis* accedit, *Atropae* nomen tribuit, et ad pentandria monogynia, LVDWIGIVS vero ad pentantheras monostylas retulit Haec planta perennis dicitur, quia frustillum radicis relictum, vel infossum, repullulat. Ornata est radice longa, magna, crassa, ramosa, inalbicante, succulenta, diuturna, viuace, insipida. cuius cortex aliquo modo fuscus est. Haec radix quolibet anno semper magnitudine aucta, mense Aprili nouis propullulat turionibus, emittit ramos herbaceos dichotomos, altitudine trium vlnarum et supra assurgentes, quoad superficiem villosos, vnctuosos, striatos, ex ala petioli decurrentes, rotundos, rectos, mediocris crassitudinis, colore e subrubro nigricantes, pollice crassiores, in tuber crassescentes. Petioli alati, villosi, ala exteriore ampliore, articulati. Folia caules circumuestientia sunt geminata, GOUAN *Hort. Monsp. Lugdb. 1762. p. 107.* integerrima, petiolata, oblongo ouata, acuta, saturate viridia, mollia, aliquantum hirsuta et subtili lanugine obducta, punctata, superne atrouirentia, inferius albida neruosa, margine non sinuata, odorem narcoticum spirantia. Folia iuniora rugosa. Pedunculus simplex assurgens, intra duas foliorum alas enascens. Calix monophyllus, quinquefidus, la-

ciniis duabus amplioribus. Corolla monopetala regularis, tubo oblongo, inferius coarctato, ſuperius ventricoſo, quindecim ſtriato, flaueſcente, tubo prope filamenta villoſo, limbo quinquefido, laciniis duabus maioribus, reuolutis, interius fulua puluere albo conſperſa. E foliorum alis concauis menſe Iunio ſeqq. MILLER'S *Plants. Lond. 1750. fol. Vol. I. p. 41.* hi flores flacceſcentes, prorumpunt, coloris triſtis, luridi, pallidi, fuſci, obſoleti, viridesſcentis purpurei, intus colore lurido et purpureo, fundus luteo verſicolore, extra ex herbido rubeſcentes ſubhirſuti prorumpunt, quorum figura vna cum ſeminibus optime depicta eſt in TOURNEFORTII *Inſtitut. rei herbar. T. II. Paris 1719. 4. tab. 13.* Plantae iconem vero videas MATTHIOL. *p. 1073. comment. in Dioſcor.* et MILLER'S *figures Tab. 62.* Stamina quinque, filamenta totidem, reclinata, conniuentia, ſubulata, inferius villoſa, ſuperius glabra, teretia. Antherae ouatae, compreſſae, erectae. Germen ouatum, conicum, ſulcatum, ſuperum. Stylus filiformis, reclinatus, ſtigmate capitato obtuſo, bifido. Baccae ſolitariae, globoſae, pulpoſae, e ſingulorum cauo ortae, e ſuo pediculo pendentes, pellucidae, primo virides, quae dum matureſcunt, mutantur in colorem ex profundo coeruleum, excipiunt flores. Si menſe Auguſto matureſcunt, ſunt glabrae, nitidae, ſplendide nigricantes, ceraſis ſimiles, ideoque *μελανοκεραστον* dictae, punctulis impreſſis notatae, SCOPOLI *Flora Carniolica, T. I. Vindob. 1772. 8. p. 160.* ſucco, aquoſo, purpureo, dulci, ad vinoſum ſaporem accedente, turgentes, odore fatuo et ſepto intermedio; grauidae ſunt ſemine exiguo, ſubrotundo, punctato et alueolato, fragorum inſtar. Loca ſterilia, vliginoſa, limoſa, ſyluas opacas et montoſas, parietes iuxta et agrorum ſepimenta amat haec planta. Habitat in Anglia, MILLER'S *Plants.* Auſtria et Pannonia, CLVSII *hiſtor. Antverp. 1601. l. 4. c. 2. p. 85.* Dania, Franconia, Haſſia, Heluetia, Hercynia, Hollandia, GERARD'S *Herbal, Lond. 1636. fol. p. 340.* Italia, Lombardia, Sileſia, Sueuia, Thuringia.

§. III.

§. III.

Principia conſtitutiua.

Quum hominum opiniones, ingenia et ſenſus in diiudicandis effectibus ſaepe valde differant, hoc etiam accidit Meae *Belladonnae*, quae ob effectum ad hypnotica, STENTZELII *Diſſ. p. 61.* narcotica, LINNAEI *Philoſ. bot. Vindob. 1770. p. 279.* ALBERTI *Iurisprud. medic. T. I. Halae 1725. p. 567.* DE ANGELIS *Diſſ. de Venen. Frf. 1741. p. 30.* maniaca, SCHENCKII *Obſerv. med. Frf. 1609. fol. p. 978.* dementantia, SAUVAGES *Noſolog. T. II. p. 640.* paregorica et ſedantia, POERNERI *Mat. med. Lipſ. 1767. p. 307.* ſtupefacientia, CRANTZII *Mat. med. et chir. Vindob. 1765.* HOFFMANNVS. ſoporifera, DODONAEI *hiſt. ſtirp. Antv. 1583. fol. pempt. 3. l. 4. c. 28. p. 453.* RAIVS. anodyna, LINN. *Mat. med.* SCHAARSCHMIDT *Therap. gener. Berl. 1755. 8.* phantaſtica, paralytica, repellentia, antiſpaſmodica, LINN. *Philoſ. bot.* virulenta, PAVLLI *Quadrip. botan. 1666. 4. p. 488.* VOGEL *Mat. med. Frf. 1760. 8. p. 53.* exitioſa et letaliter corrumpentia, AETIVS *in Stephani medicae artis principes libro 1567. fol. p. 628.* immo ad praeſentiſſima Venena, FVCHSII *Hiſt. ſtirp. Baſil. 1543. fol. c. 265.* HOFFM. *med. rat. p. 183. §. 17.* MAPPI *hiſt. plant. Alſat. Argent. 1742. 4. p. 36. Pharmacop. Heluet.* BROOKES *Handbuch. T. II. p. 343.* refertur, eique principium ſimul calidum et acre, neruos vellicando affligens, et ſanguinem, lympham, aliosue humores et ſpiritus exagitans, adſcribitur. WEPFER *De cicut. aquat. Baſil. 1679. 4. p. 229.* PLENK *Mater. chir. Vindob. 1771. p. 401.* SCHAARSCHM. *l. c. p. 328.* VANDERMONDE *Recueil periodique. 1756. p. 113.* POERNER *l. c.* Secundum STENTZELIVM ex copioſo ſale volatili oleoſo aliisque particulis conſtat, qui accuſat, culpam virulentiae haerere in ſulphure (quod tamen minime demonſtrare poteſt) graueolente vaporoſo, arctius mucagine implicito, quod fluidas cerebri et neruorum partes inficiat contaminetque, vires ſupprimat, motusque vitales ſiſtat;

nam

nam Venena vegetabilia potiſſimum agunt vaporoſitate peregrina, MANGETTI *Biblioth. med. pract. T. IV. p. 777.* quae virtus deleteria coctione diſſipatur, HOFFM. *l. c. p. 185.* et ſcatet magna ſopiendi reſoluendique vi et inſigni acrimonia. *Adverſ. med. pract. Vol. I. P. IV. Lipſ. 1770. 8. p. 705.* Odor eſt viroſus, nauſeabundus, caput aliquo modo diſturbans, ſpiritusque confundens. Foliis contuſis lacti immerſis, ſtatim oleoſae lactis partes ſecernebantur, ſuperiora petentes, remanente tamen lacte albo, fluido. Deſtillatione inſtituta aqua inde prodiit grati odoris, liquor flauus alcalinus, oleum prius ceraceum, ſal fixus lixiuioſus. De productis chemicis, huc non ſpectantibus, legi merentur GEOFFROI *Mat. med.* et OETTINGERI *Diſſert. de Belladonna*, qui hanc litem optime dirimunt.

§. IV.

Praeparata officinalia.

Haud leues circa remedia e *Belladonna* parata, exortae fuerunt lites, quoad eorum vim deleteriam et medicamentoſam; igitur etiam in pharmacopoliis pauciſſima proſtant *Belladonnae* praeparata, inter quae ſucci ex fructibus expreſſi, et cum ſaccharo ad ſyrupi conſiſtentiam cocti, GESNERVS *Lib. I. epiſt. ad Achill. Gaſſer. c. 34.* inuentor fuit; cuius vſum vituperat WELSCHIVS, et ab hoc abſtinendum eſſe cenſet. LEWIS *Mat. med. Zurch. 1771. 4. p. 550.* RAIVS *l. c.* Ita quidem praeparandam Tincturam excogitauit, MARTEAU *Journal de Medec. T. XIV. p. 11.* CRANZII *l. c.* ℞. *Belladonnae* ℥iv. Menth. criſp. ℥ij. Croci or. ʒij, conciſis admiſce ſpiritus vini ℔ij, ſpiritus volat. cornu cerui ſine calce, ℥ß, digere, exprime et ſpiritum vini affunde, quantum poſt colaturam a ℔ij ceſſabit, qua tinctura optimo cum effectu in tumore oui anſerini magnitudinis ad guttas octo, ſenſimque vſque vltra octoginta vſus eſt. IOH. DE GORTER *in Formul. medic. Frſ. et Lipſ. 1760. 4. p. 358.* vnguentum deſcribit, cui admixtus eſt hic ſuccus; aliud vero HIER. BOCK ex ſucco *Belladonnae* cum ceruſſa et lithargyrio.

Folia

Folia ingrediuntur Balſamum tranquillans *Pharmacop. Pariſinae. Paris, 1748. 4. p. 140.* Vnguentum populeum *Lib. cit. p. 152.* et Vnguentum de Ceruſſa et Lithargyrio. *Hannov. Magaz. 1771. n. 23.* Pilulas formauit GREDING ex herb. *Belladonnae* ℥viij. Extr. *Bellad.* ℥xv ʒj, vt fiant pil. pond. gr. j. *Aduerſ. med. pract. Vol. I. p. 642.* Aquae deſtillatae mentionem facit MATTHIOLI *Nelli ſei libri di Pedac. Dioſc. Venet. 1604.* TABERNAEM. *Frf. 1625. p. 287.* BOCK. *Strasb. 1577. fol. p. 108.* PORTAE *Magia natur. p. 565.* alio loco vero aquae odoratae; et aquae compoſitae ALBERTI *Iurispr. med. T. I. p. 567.* peſſariorum HIER. BOCK *l. c.* DARLVC infuſum et decoctum parabat aquoſum ex ſcrupulo vno herbae cum quinque cyathis aquae, cuius vires ipſe per gradus explorabat, *Journ. de medec. T. XI. p. 509.* quo etiam GATAKER *Obſeruations on the internal Uſe of the Solanum. Lond. 1757. 8. p. 25.* THALII *Hercynia Saxono-Thuring. Frf. 1588. 4. p. 105.* vſus eſt. Rob baccarum mala produxit ſymptomata. HORST. *Oper. II. p. 488. Miſcell. N. C. dec. 3. ann. 7. obſ. 161.* A ſex infantibus vnus mortuus eſt STRAVSS. *ad Schenck obſeruat.* Puluis fol. *Belladonnae* et rhei vterque ad gr. v. adhibitus eſt ab EVERS *Berliniſche Samml. T. V. p. 565.* SCHMVCKER *p. 173 ſqq.* alii infuſum baccarum ſpirituoſum, *Eph. Nat. Cur.* LOBELII *Obſ. ſtirp. p. 134.* alii vinoſum, RAII *Hiſt. plant.* in cereuiſia, GMELIN *Von giftigen Gewächſen. Ulm, 1775. 8.* MATTHIOLI. alii decoctum baccarum, MAYERNE *Tract. de morb. ext. II. c. 12. p. 136.* infuſum vinoſum herbae RAIVS *l. c.* GENDRON *Belladonnam* cum ſaccharo Saturni *Recherches ſur la nature et la gueriſon des Cancers. Act. erud. Lipſ. a. 1701. p. 310.* exhibuerunt; ſuccum cum albumine oui TABERNAEM. *l. c.* radicem cum oleo tritam LOBELII *lib. cit.* oleum compoſitum expreſſum VIERVS *De praeſtigiis daemonum, Baſil. 1583. 4.* Sed aquas, pulueres, trochiſcos, aliasque formas hinc conficiendi modum et vſum, VIERVS *p. 315.* ſilentio inuoluere maluit, ne malitia inde oriretur.

§. V.

De effectu ſalutari Belladonnae.

Quisnam crederet, *Belladonnam* poſt tot tantasque ſtrages venenatas commemorandas, tamen a fide digniſſimis viris, tam interne, quam externe ſummo cum fructu exhibitam fuiſſe? igitur etiam in laudem illius nonnulla dici poſſe credo. Semper vero eſt prudentis medici, in applicatione remediorum ſuſpectorum, cum ratione potius timide, quam cum ſuo et aegrorum periculo animoſe progredi, licet in rationalis medici manu nullum dari Venenum, STOERCKIVS ſibi perſuaſum habeat; vide et *Meam ſcriptiunculam de Amygdalis et Oleo amararum aethereo*, *Lipſ. 1776. p. 10. §. 6.* Quod de aliis remediis, etiam de *Belladonna* valet: Laudatur ab his, culpatur ab illis. Mittam tam vſum oeconomicum, dum ex baccarum ſucco colorem viridem praeparant pictores, BOECLERI *Cynoſ. mat. med. p. 320.* GMELIN. *l. c.* quam therapiam pecorum, nam ceruae mirifice foliis delectantur, CAMERARII *Hortus medicus*, *Frſ. 1588. 4. p. 163.* GESNER *Hiſt. animal. cap. de Ceruo.* immo tota planta contra pecoris morbos extollitur, RVPPII *Flora Ienenſ. 1745. 8. p. 252.* ex quibus tantum luem bouillam, equinam et ouium *Hannov. Magaz. 1768. n. 64. 1775. n. 68. ſqq.* nominare placet, etiam ſuibus optimum eſſe praeſeruatiuum dicitur, TABERNAEM. TRAGVS. Progrediamur potius ad ea commemoranda, vbi in generis humani vtilitatem adhibita eſt haec planta. Indi et Aegypti his foliis inter olera et cibos vtuntur. BONTIVS *De medicina Indorum in Methodo medendi cap. 7. Belladonnam* continere principium volatile, quod putredini, et corruptioni cancroſae reſiſtat, auctores nobis perſuadent: Quamuis vero cancer nulli fere cedat medicamento, niſi ferro et Solano, ſecundum placita veterum, tamen TIMMERMANNVS *Periculum Belladonnae p. 3.* aſſerit, huius vſum internum ſalutarem adverſus cancrum, praeſertim occultum, cum methodo, ea tuto vtendi, ſatis diu in arcanis habitum fuiſſe. IVNCKERVS

Con-

Conſpect. therap. gener. 1725. p. 491. quoque periculum fecit, oppoſuit aperto et occulto cancro diriſſimo tollendo, et bene ſub manu ſucceſſit negotium cum *Belladonna*, in quo malo ſpecifica, quamquam non ſemper aut innoxio aut felici euentu dicta fuit. GATAKER cum V. DOEVERN virtutem aduerſus cancrum peculiarem negarunt, quod etiam confirmant ACREL *Chir. Händelſer. Ed. 2. p. 40.* BAYLE *Practical eſſays p. 37.* igiturque in cancro non omni modo commendandam eſſe, iudicat HILL *The vegetable Syſtem. Vol. VIII. Lond. 1764. fol. p. 30.* immo nullam aegrotarum *cancro vero*, vbi *Belladonna* exhibita fuit, ſed tantum infarctu ſimplici, glandulis induratis, humoribus exiguis et decubitu lacteo, laboraſſe, contendit RAULIN *Traité de fleurs blanches. T. II. Paris 1766. 12. p. 594.* quae incommoda aeque facile aliis remediis vinci potuiſſent. Nihilo ſecius in cancro occulto, et ſcirrhis induratis dolentibus apud plures aegras certo bonos eius effectus expertus eſt TIMMERMANNVS, nam dolores exquiſitiſſimi cancrum concomitantur, et iis triplici modo *Belladonna* medetur, affluxum diſcutiendo, acrimoniam infringendo, et ſpecifice eos ſedando, vbi viginti aegras recenſet, quae per *Belladonnam* ſanatae ſunt, absque eo, vt effectum quendam aduerſum obſervauerit, excepta modo virgine, quae poſt primam doſin tam anxia, tamque animo confuſa fiebat, vt morituram ſe crederet, quod tamen incommodum, elapſis duabus horis, ceſſauit. MARTEAU feminae de ſcirrho mammae dolente conquerenti, a minori doſi tandem ad gr. xj. *Belladonnae* infuſi ſpirituoſi, et COLLIGNON drachmam quotidie, infuſi aquoſi forma, virgini, mammarum cancro laboranti, cum leuamine exhibuit. *Journ. de med. T. XIV. p. 18. 22 ſq.* Folia calefacta, et flaccida ſcirrhoſos tumores emolliunt, cancros occultos ad ſuppurationem ducunt, et pus bonum reddunt MAPPI *lib. cit.* ALBERTI *l. c. T. I.* applicantur haemorrhoidibus et cancro, gangraenae, vlceribus carcinomatoſis, BOECLER. *Lib. cit. P. I.*

c. V. fotu foliorum vlcera mammae ſanata ſunt QVER *Hiſtoria de las plantas, que ſe crien en Eſpanna. T. III. Madrit. 1762. 4.* foliis recentibus, mammae impoſitis, duritiem tumoresque eius cancroſos emolliuit et diſcuſſit WILLVGBY; ſuccus vt antidotum cancri tam exulcerati, quam non exulcerati commendatur ab Avicenna apud FAGAULTII *Inſtit. chirurg. L. I. c. 15. l. 3. c. 19.* DUPRÉ *de l'Isle traité ſur le virus cancereux. Paris, 1774. 12.* DEGNERVS depraedicauit vſum internum *Belladonnae* in cancro non exulcerato, et mirifice per eam ſe rem peregiſſe teſtatus eſt TIMMERMANNI *Diſſ p. 20.* Tincturae *Belladonnae* vtilitatem aduerſus cancrum MARTEAU et VANDERBIER confirmant VANDERMONDE *in diario.* In cancro pro *Belladonnae* vſu militatur BELLOT *Vtrum in cancro Belladonnae vſus tum internus tum externus. Paris, 1760. 4.* Sed vbi in cancro putredo, et gangraena adſuerit, Cicuta *Belladonnae* praeferenda, VANDENBLOCK *Journ. de med. T. XIV. 1761 Belladonna* contra, vbi acrimonia corrodens adeſſet, et fungoſa caro excreſceret, Cicutae anteponenda eſt. Tumor carcinomaticus in mamma ichorem et ex fungo excreſcente ſanguinem emiſit; ſed fomentationes cum decocto *Belladonnae* carnem fungoſam compeſcebant, ſuppuratio accedebat, et aegra conualuit AMOUREUX *Journ. de med. T. XIII. p. 47.* infuſo foliorum absque ſtipitibus, tumor oui columbini magnitudine curatus eſt. *Lib. cit. p. 108.* Linguae tuberculum ſcirrhoſum *Belladonnae* vſu, et lapidis infernalis contactu ſanauit TIMMERMANNVS. Puſtulas linguae, inepta curatione mutatas in vlcera ſulcata vere cancroſa, induratis marginibus, IVNCKERVS decocto *Belladonnae* ex voto ſanauit, nam cruſtae calloſae partim abſceſſerunt, partim reſolutae ſunt, et poſtea mundificata et abſterſa vlcera ſeſe conſolidarunt. Aqua ex tota planta deſtillata internas viſcerum inflammationes exſtinguit, nullo corporis incommodo. KOENIG *Regn. veget. quadrip. Basil. 1708. 4.* Non dubitat cum veteribus OETTINGERVS *Diſſ. de Bellad.*

lad. p. 33. quod cum emolumento interne adhibeatur in aliis mali moris vlceribus, phagedaenicis, verminosis, ex erysipelate natis, corruptis, inueteratis, cancriformibus; extus applicari in haemorrhoidibus, cancro, gangraena, vlceribus carcinomatosis, indicat BOECLER *in Hermanni mat. med. T. 2. p. 321.* In exulcerationibus vteri, succus iniici potest. Decoctum baccarum specificum contra hydrophobiam appellatur MAYERNE *Prax. med. syntagm. alt. p. 136.* radix profuit, in quibus iam signa manifesta rabiei caninae adfuerunt MVRRAY *Apparat. medic. simpl. cet. Vol. I. Gotting. 1776. 8. p. 439.* Infusum baccarum in cereuisia contra arthritidem vagam adhibuerunt SMETIVS *L. IV. p. 238.* MATTHIOL. GMELIN. Syrupi cochlear paruum ad fluxiones sistendas, dolores tollendos, et dysenteriam curandam laudat GESNERVS *Lib. cit.* Pastor quidam aduersus dysenteriam contagiosissimam summo cum fructu decumbentibus infusum baccarum vinosum propinauit, RAII *Hist. plant. p. 679.* Quod radicibus *Belladonnae* restitui possint maniaci, SIEGESBECKIVS commemorat, HEVCHERI *Nouus prouentus, Viteb. 1713. p. 13.* Idem MARDORF *De maniacis Giessensibus a Solano furioso curatis, Giessen, 1691.* SCHMVCKER *lib. cit.* Aegyptii pro somno conciliando dant drachmam vnam radicis cum aqua propria, PROSP. ALPIN. *de plant. Aeg. c. 42. p. 52.* ZORNII *Botanologia medica, p. 654.* foliis vtuntur ad inflammationes et ambustiones membrorum MOIBANVS *in Euporista l. I. c. 11.* DIOSCORID. succum fronti et temporibus somni caussa illinit. DARLVC insignes glandularum colli scirrhos inde curatos, et feminam tympaniticam multum inde alleuatam adducit. Singulis fere titulis commendat DONDVS *De remed. chirurg.* et folia cum cicuta in cataplasmatis formam contusa contra apostemata, et succum cum cerussa, lithargyrio et oleo rosato contra erysipelata, et radicem contra vlcera maligna. Vesicatoriis et exulcerationibus leniendis in febribus malignis hanc plantam ROBERTVS *De febr.*

mal. App. p. 420. commendat. Morſibus aſpidum, puncturae ſcorpionum et aranearum mederi folia cum oleo trita, PLINIVS *Hiſt. nat. l. 21. c. 31. l. 27. c. 8.* APVLEIVS *de herbis c. 22. et 74.* Decoctum foliorum *Belladonnae* aquoſum in arthritide *Pharmac. Heluet.* MOLENBROCK VAREN. *opera c. 15. §. 13.* SMETII *Miſcell. medic. l. 3. epiſt. 2.* et in tumore carcinomatico mammae *Journ. de med. T. XIII. p. 47.* LAMBERGEN *Diſſ. p. 9.* cum effectu exhibitum eſt; puluere *Belladonnae* et Rhei in apoplexia, melancholia, epilepſia, hemiplexia pituitoſa EVERS *Berl. Samml. l. c.* SCHMVCKER *Vermiſchte chir. Schriften, T. I. Berlin, 1776. 8. p. 185 ſqq.* vſus eſt, et eodem in mania confirmata, et variis ſymptomatibus a lochiis ſuppreſſis ortis. Ex lochiorum deficiente fluxu congeſtiones verſus mammas ortae, in nodum durum, et poſtea in cancrum occultum mutatae, decocto *Belladonnae* reſolutae et diſcuſſae ſunt, vt plenaria ſanitas ſecuta ſit OETTINGER *Diſſ. de Bellad. p. 27.* Alii baccis ſpiritu frumenti infuſis aſthmata *Ephem. N. C.* alii dolores dentium MATTHIOLI *Frf. 1600. fol. p. 377.* LOBELII *Obſeru. p. 134.* APVLEIVS. infuſo vinoſo dyſenteriam epidemicam, *Ephem. German. obſ. 64. dec. 2. ann. 3.* RAIVS. curarunt. Vna cum ſaccharo Saturni *Belladonnam* in cancro occulto GENDRON. exhibet. ALBERTI *Iurispr. med. p. 567.* Cataplaſmata ex *Belladonna* mammarum vlceribus applicantur *Pharm. Heluet.* Nodos doloroſos et pertinaces mammae, poſt puerperium et neglectam lactationem ortos, vſus pulueris ex granis duobus foliorum et granis decem ſacchari per plures menſes continuatus, ſecuta ſuppuratione et lactis nouo affluxu, tollit, teſte LENTIN *Beobacht. einiger Krankh. p. 90.* ſuccum cum albumine oui in oculis inflammatis lacrymantibus adhibuit TABERN. *Lib. II.* HEVRNIVS *in Methodo ad praxin. l. 1. p. 71.* Coecitas a variolis orta *Belladonna* feliciter curatur MVNCH. *Hann. Magaz. 1773. n. 46.* Idem effectus in initio cataractae. Radicis ſuccus cum melle illitus, oculorum

lorum hebetudines tollit. Praesentaneum remedium dicitur ad dentes mobiles firmandos, si colluerentur LOBELII *Lib. cit.* In cancro aperto labii, ab infuso *Belladonnae* desquamationem LVDWIGIVS *Comment. Lipf. Vol. VIII. p. 654.* vidit. Quum *Belladonna* vrinae profluuium et perspirationem valde auget, putat GATAKER *Obseruations on the internal Use of the Solanum, p. 82.* aduersus hydropem feliciter adhiberi posse, quod etiam *Journ. de med. T. XI.* LOBELII *Obs. p. 134.* MATTHIOL. affirmant; stabiliuit tamen GATAKER paruam, vel potius nullam salutem ex huius plantae vsu esse exspectandam, nisi perspirationem, vrinam aut aluum moueat. In calidis inflammationibus sine periculo adhiberi possunt tum radices, tum etiam baccae et folia RAII *Hist. plant.* In vlceribus variis praeter Solanum, et *Belladonna* morbum aut curauit, aut mitigauit, morsusque etiam periculi plenos. GATAKER *lib. cit.* In scirrho intestinorum inueterato *Belladonna* interne cum effectu adhibita est *Journ. de med. T. XI. p. 499.* Vsum *Belladonnae* dudum ad oculi inflammationes WELSCHIVS *Mictomim. pag. 9.* commendauit. Femina, verberibus tractata, de obtuso hypochondrii dextri dolore conquerebatur cum alui segnitie coniuncto. Post vsum salis communis et rhei, flauus color, obscurior et profunde luteus oriebatur, cui exhibuit GREDING *Aduers. med. pr. Vol. II. p. 314.* pilulam ex *Belladonna.* Quo facto altera pilula vix deglutita, praeter sudorem, iam binae alui deiectiones virides cum largiore vrinae profluuio obseruabantur, quae postea cum quotidiano icteri decremento augebantur, tum die decimo ab ictero prorsus liberata fuit. Alterum extat exemplum, vbi icterus post has pilulas prorsus cessauit, dum mucus luteus ex naribus exibat. In tertio aegro icterum tantum imminutum obseruauit. FVCHSIVS cum DIOSCORIDE radicis ʒj etiam ob vim eius diureticam contra icterum commendat. Radix, lacte in cataplasma cocta, tumorem insignem intestini recti, obstructionem alui creantem,

ano

ano et perinaeo applicata, diſſoluit GRAHAM *in med. et phil. commentaries. Vol. I. p. 419.* Teſte MONTANO *De ſimpl. medicament. qualitat.* Mauri, Africae et gentes Syriae, ſucco interne vtuntur, vt curae domeſticae obliuiſcantur, et hilares fiant. MOIBANVS *in Euporiſta Dioſc. l. 1. c. 11.* vult, aegris ante amputationem artus, radicem *Belladonnae*, loco Opii, adhiberi. TIMMERMANNVS fatetur, ſe egregios *Belladonnae* effectus vidiſſe, vt ſaepenumero conſtituerit, peculiares, praeter *Periculum* iam laudatum, obſeruationes conſcribere. Praeter has celebratas *Belladonnae* vires medicas, alias quoque virtutes virulentas huic plantae tribuerunt tam veteres quam neoterici Aeſculapii filii. Pedem igitur hinc mouebo, meque ad has vires indagandas conuertam.

§. VI.

Vires venenatae Belladonnae.

Si *Belladonnam* examini ſubiicimus, effectibus enumeratis non obſtantibus, tota planta, ex clariſſimorum virorum conſenſu, virulenta cenſetur; magis tamen baccae et radices, quam folia. Teſte PLINIO *Hiſt. nat. l. 21. c. 31.* haec planta a DIOCLE et EVANORE panegyrico decantata, a TIMESTO carmine celebrata, a XENOCRATE malorum omnium medela vocitata fuit. Symptomata ſontica enumeranda ſatis indicabunt, *Belladonnam* vix plantam agnoſcere operandi et nocendi celeritate ſe ſuperiorem, et ideo exceptis ouibus MVNCH. *Hann. Magaz. 1767. p. 1013.* vix ab vllo animalium genere appeti. Adeo eſt venenata, vt, a boue deuorata, illum in furorem exagitet, vt cornubus irruat in armenta, eaque vulneret. HEBENSTREIT *Anthropol. forenſ. Lipſ. 1753. 8. p. 91.* Plantas ſuſpectas et venenatas aegris exhibere, nefas eſſet, antequam certo conſtet, qua forma, et qua doſi ſine omni prorſus detrimento dari poſſunt. LINNAEVS *Philoſoph. botan. p. 278.* ſuadet, vires plantarum deſumi a fructificatione, obſeruato ſapore, odore, colore, loco. Baccae doloſa ſua ſpecioſitate, et *ſaporis* ſua-

vitate

vitate, et ſplendido ſuo nitore oculis et palato arridentes, perniciosiſſimi effectus pericula occultant, immo fere inſipidae ſunt, niſi quod aliqua viſciditas cum leui vi adſtrictoria percipiatur. Radices et folia tam recentia, quam ſicca, ingrato carent ſapore; ſed ſymptomata, eorum deglutitionem excipientia, immo ſi externe adhibita fuerint, omnem plane ſuperant fidem. *Odorem* ſi perpendimus, fatuus ille eſt, viroſus et nauſeabundus, caput aliquo modo diſturbans, ſpiritusque confundens. De *loco* et *colore* §. II. iam egimus. Niger baccarum *color*, in plerisque LINNAEO ſuſpectus et Venenum indicans, in Noſtris quoque apparet. Quam venenoſa et deleteria qualitate gaudeat *Belladonna*, et quantas hinc inde ſtrages ediderit, de eo pleni ſunt botanicorum libri, nec exempla infrequentia, MANETTI *Viridar. Florent. 1751. 8. p. 21.* experiri voluit, an baccae *Belladonnae*, in cuniculi ventriculum demiſſae, Veneni ſymptoma excitarent, quale LINN. *in hort. Upſ. p. 299.* de Coriaria vulgari adnotauit, ſed nullum obſeruauit; nec ſuccus baccarum dilutus, per iugularem venam in cor iniectus, Veneni ſymptoma produxit, cum praeter ſtuporem ac leuiores corporis ſubſultus, non horae ſpatio perdurantes, nil aliud procreauit. Succus 20 baccarum *Belladonnae*, per vim in catuli ventriculum immiſſus, excitauit ventriculi conuulſionem, ſingultum aemulantem, ſemi horae ſpatio durantem, quae tamen nullum vomitum progenuit. Legatur etiam CARL *De noxio vſu Belladonnae in arthritide. Eph. N. C. Vol. IV. obſ. 86.* In canis ventriculum baccae demiſſae, nullum Veneni ſymptoma obſeruavit ROSSI *De plant. quae venenatis habentur. Florent. 1762. 4.* Aggrediamur iam ſingularum *Belladonnae* partium vires.

§. VII.

De viribus radicum Belladonnae.

De radice dicamus primum. Funeſtos eius effectus recenſet *Miſc. nat. cur. Vol. II. obſ. 119.* A drachmis duabus tantum appetitum deleri, GESNERVS habet. Radicis minor do-

ſis, ſpecies vanas et imagines menti iucundas repraeſentat; duplicata, mentis alienationes et ſpectra; quadruplicata, mortem adfert ORIBAS. *l. 15. p. 510.* DIOSCORID. VIERVS *p. 320.* MATTHIOLI ait: un ſcropolo della radice nel vino bevuto, ammazza, e fa, che non ſi poſſa mangiare cibo veruno. *Comment. Dioſc. della mater. medic. Venet. 1604. fol.* Drachmam in vino maceratam tanta excepit faucium occluſio, vt ne minimo quidem bolo aut guttula appetitui ſatisfacere poſſint, niſi hauſtu aceti, hoc incommodum profligante, ſubleuentur. A drachmis tribus perpetuae ortae ſunt furiae A STAPEL. ORIBAS. et inſania, quae ſolui nequiit. Larga doſi radix adhibita, etiam ſanis mortem infert. *Ephem. German. Dec. II. a. 10. obſ. 108.* Ex errore pharmacopoei minima quantitas radicis, inter ſpecies mixta, triſtiſſimos producebat effectus; facies pallebat, ebriorum adinſtar, ſaliua incraſſata et viſcida in faucibus et lingua haerebat, ſomnolentia, temulentia, nauſea, vomitus, vrinae excretio impedita, aliaque oriebantur ſymptomata WEICHARDTI, amici optimi, *Diſſ. de Pharmacopoliis rite conſtituendis, Lipſ. 1776. p. 25.* Senſus ſtupidos, vertiginem, ſoporem, viſionem erroneam, quod obiecta viſa ſint duplicia, virium languorem inde proficiſci, SICELIVS *Diatr. botan. med.* et calorem vrentem oculorum WEPFERVS allegauit, oculis licet apertiſſimis, clariſſimis, planeque ſplendentibus, coecutiebat penitus, FABRI *Strychnom. p 4. obſ. 1.* alii lacrimabant, in aliis erat rubor faciei et tumor ALBRECHT *Commerc. litt. Nor. 1731. p. 332.* Rubet vultus tumens, ſcintillantes, toruos, prae ſe ferens oculos, omni puncto cutis reliquo pallente *Eph. Germ. T. II. obſ. 60.* Spaſmum cynicum GMELIN *lib. cit.* appetentiam languidam A STAPEL. SCHENCK *Obſ.* et impoſſibilitatem deglutiendi producit. Hinc guloſis paraſitis hoc appoſuit vinum aliquis, cum optimis cibis, ſed nihil cibi ingerere potuerunt. MATTHIOL. *comment. ad L. IV. c. 69.* PORTAE *Magia naturalis, l. 14. c. 13.* LOBEL. Alii obſeruarunt torporem ca-

capitis cum mentis alienatione, alui adſtrictione, digeſtione languida, et decremento virium. HOFFM. *med. rat. p. 273.* Fures nebulonesque radice abutuntur, vt ſomno grauiori ſepultos bonis exuant commodius. Tantillum radicis cum conſeruis mixtum ſitibundis dant agyrtae. BVCHANANVS *Hiſtoria Scotiae Frſ. 1584. 8. p. 199.* exponit, quo pacto huius plantae ſucco, panem, vina et cereuiſiam Scoti infecerint, vnde Danos, hoſtes ſuos, in quorum caſtra infeſtus iſte commeatus Scotorum dolo peruenerat, ita dementarint, et in ſomnum induxerint, vt eorum ducem *Suenonem* cum toto exercitu delere poſſent. De cortice huius radicis iudicat ORIBASIVS *lib. 15.* hanc foris admotam, ſiccare ſecundo ordine completo, et incipiente ſecundo refrigerare. Si cum vino bibatur, ſomnum accerſit, MATTHIOL. *comment. Dioſc. l. 4. c. 69.* opio mitiorem LOBEL. *Obſ. ſtirp.* ALPINVS *de plant. Aegypt. Venet. 1592. 4. c. 42. p. 51.* Cortex foris applicatur ad vlcera maligna et depaſcentia curanda FVCHSII *Hiſt. ſtirp. c. 264,* Singula huc ſpectantia monumenta ex omnibus fere antiquitatum et recentiorum fontibus ſatis operoſe eruiſſe videor. Progrediamur nunc ad alias *Belladonnae* partes.

§. VIII.

De foliorum viribus.

Vires venenatas non tantum in *Belladonnae* radicibus, ſed etiam in foliis baccisque exiſtere, et fere eosdem edere effectus, nunc mihi exemplis illuſtrandum eſſe cenſeo. A grano dimidio vel vno herbae ſiccatae cum aqua feruenti infuſae, iam calor totius corporis cum ſudore copioſiore oriebatur, EVERS. GREDING. in alio vrinae maior copia et inſignis excitata acrimonia, viaeque vrinariae arroſae, *Journ. de med. T. XIII. p. 108.* in aliis vero lotium ſuppreſſum DARLVC. In quibusdam alvus conſtipata, *Adverſ. med. pract.* in aliis ſoluta, inſuper vero nauſea, vomitus, ructus, preſſio ventriculi, cephalalgia, verti-

go, obnubilatio visus, aliaque symptomata oriebantur paralytica LEWIS *Mat. med.* siccitas oris et amarities per duas horas percepta, LAMBERGEN *Diss. cit. p. 9.* et totius oesophagi; lingua fiebat alba et arida, et saliuam deglutientis palato sese adglutinabat; difficulter verba proferre valebat, idem homo vocem raucam et obscuram emittebat. *Journ. de med. T. XI. p. 509.* Furorem et coecitatem oriri WEPFER *De cicut. aquat.* variis obseruationibus probare annisus est; coecitatem vero temporariam et visus hebetudinem BROMFIELD *Götting. gelehrt. Anzeig. 1758. p. 1416.* inque sex aegris caliginem seu plenariam coecitatem, hebetudinem oculorum cum dilatatione pupillae EVERS ipse expertus est. FABER. GREDING. Iam duo vel tria foliorum grana visus debilitatem produxerunt THALII *Silua Hercyn.* Oculi adeo obnubilati erant, vt nec manum obuersantem aduerterent aut nictitarent FABRI *Strychnom.* Secutae etiam sunt ex foliorum vsu inflammationes ventriculi, conuulsiones, mors *Pharmac. Heluet.* Magna foliorum copia in decocto propinata, conciliandae quietis gratia, letali somno oppressit SCHENCKII *Obs. med.* In aliis accesserunt spasmi, atonia variarum partium, conquassatio capitis, oscitationes, singultus, tussis conuulsiua, facies pallida; in aliis faciei rubor, frigus et horror, anxietas praecordiorum, dolores rheumatici, maculae et pustulae, somnolentia, torpor, *Aduers. med. pr. Vol. I. P. IV. p. 637.* trismus ACKERMANNI *Diss. de Trismo. Göttingen, 8.* neruorum distensiones, spasmus maxillae HASENESTIVS *Act. acad. N. C. Vol. III. obs. 85.* delirium, cachinni, gesticulationes, insania, stupor mentis, qualis est ebriorum vigilantium ab infuso herbae vinoso RAII *hist. plant.* Ab eodem sopor letalis obseruabatur, ardores interni cum insigni virium decremento VALENTINI *Act. phys. med. Vol. II. obs. 119.* THALII *Silua Hercyn.* ZACHIAS *Quaestion. medico-legal. T. I. l. 2. tit. 1.* et pupillae relaxatio, si folii recentis particula oculo apposita fuit. Folia aquae infusa non sine omni noxa potantur, quum

et

et ſomnum moueant, et κυρίως laedant oculum, pupillae ipſius paralyticam inducendo laxitatem, immo coecitatem, licet ſuperabilem, etiam externe ſaltem oculo applicata VOGEL *Mat. med. p. 53.* Femina, cancro occulto laborans, pugni magnitudinis et inſignis doloris, cum infuſum aliquot hebdomadibus ſumſiſſet, coeca euadebat. IVNCKERVS obſtupeſcens, vſumque abrumpens, ex re ipſa conſilium cepit, videlicet orgaſmum ſanguinis contemperandi, donec octo dierum ſpatio viſus recuperaretur. Noua autem coecitas oriebatur ab vſu continuato, non minus profligabilis *In epiſt. ad Timmermann. p. 22.* GALENVS affirmat, drachmam vnam absque noxa adhibitam fuiſſe, ſed vnciam ſemis mortem conciliaſſe PLENK *Mat. chir. p. 401.* Variis rebus praeter *Belladonnam*, inhaerere vim, ſanguini conciliandi ſingularem diatheſin, comprobare annititur DE HAEN *Ratio medendi. P. II. 1760. p. 36.* quippe cuius contra cancrum adhibitae vſu tam inſignis copia puris prolecta fuerit, vt inde duae feminae ob ſummam debilitatem fere extinguerentur. Vtrique periit appetitus, liquidior reddita aluus, dolor auctus, vertigo moleſta, languorque tantus fuit, vt, quae poterant extra lectum iam verſari per totum diem, eidem denuo inhaerere cogerentur, donec herbae vſus ſeponeretur. GREDING repetita experimenta inſtituit, et tentamen eius *De Belladonnae viribus et efficacia in epilepſia habituali et mania* legi meretur *Aduerſ. med. pr. loc. cit.* vbi ſincerrime enumerat effectus accuratiſſime notatos. Quamuis vero ex recenſitis exemplis ne vllus quidem ab epilepſia prorſus liberatus ſit, ſunt tamen leuaminis, quod in imminuenda epilepſia habituali non ſolum, ſed etiam in mitiganda tollendaque mentis alienatione cernebatur; itaque concludit, paruam doſin his aegris tuto exhiberi poſſe RATTRAYVS *De ſympath. et antip. p. 36.* phrenitidem et amorem inſanum cauſſari aſſerit; in nonnullis auditus grauitatem *Aduerſ. med. pr.* et ſuſurrum, in aliis aurium tinnitum *Hiſtoire de l' acad. des ſc.* excitauit. Immo RHODIVS *Analect. in Septal.*

l. 6. p. 201. contendit, externe folia adhibita, insaniam producere.

§. IX.

De baccarum viribus.

Ordinis ratio nunc postulat, vt pariter baccas toxicatas consideremus. Nam florum vis nusquam notata est. Igitur exempla quidem occurrunt, tres immo quatuor baccas absque sanitatis iactura vel vitae dispendio, deglutitas fuisse, LEWIS *Mat. med. p. 550.* HALLERI *Stirp. Heluet. T. I. Bernae 1768. fol. p. 251.* cuius rei caussa quaerenda est vel in idiosyncrasia ad vomitum prona, vel in diuturniori decoctione, vel in constitutione primarum viarum, si cruditates adsunt, aut acidum ibi dominatur. Ill. HALLERVS vero his conditionibus adiicit hanc, si huic Veneno homo iam assuetus sit. SOLENANDER vero puerum ex vnius baccae esu furere, nec vllum parentem agnoscere, *Der Königl. Akad. der Wissensch. botan. Abhandl. Bresl. 1750. p. 364.* atque animo corporeque languere VIERVS *De praest. daem. p. 317.* vidit. Baccae post horam fere elapsam virus suum ostendere solent. Ex duobus adolescentibus, baccas deuorantibus, alter obiit, alter euasit THEOPHR. ERES. *in hist. plant. Amstelod. 1644. p. 586.* Teste V. SWIETEN. chirurgus a quatuor baccis mortuus est. HEVCHERI *nou. prou. p. 29.* STERREBECK *in praefat. theatri fungorum p. 352. Three Bodies did eat of that Fruit, two whereof died in less than eight Houres* GERARD'S *Herbal.* SCHRECKIVS puerum a baccis furentem et mortuum fuisse notauit. *Act. acad. N. C. Vol. IV. obs. 41.* GOECKELIVS puellam a nonnullis baccis mortuam vidit. *Fränk. Samml. T. III. Norib. 1758. 8. p. 44.* PAVLLI *Quadrip. botan.* Etiam ERNDL *Diss. ex Veneno salus. Giess. 1691.* obseruationem habet, baccarum *Belladonnae* funesto effectu comestarum. MERCVRIALIS ipse vidit, pueros pulchritudine fructuum allectos, interiisse. *Tractat. varii. Lugdb. 1618. 4.*

l. 1.

l. 1. c. 13. SCHENCKII *Obſ. med.* BOCK *Hiſt. ſtirp. l. 3. c. 24.* DODON. *p. 453.* Baccae primum maniam, deinde mortem inducunt, CRANTZ *Mat. med. et chir. T. III. p. 55. Act. phyſ. med. Vol. VI.* in omni aetate HILL *The vegetable ſyſtem. Pharmac. Heluet.* STENTZEL *p. 61.* largaque doſi a ſaniſſimis adhibitae, mire quoque celerem VALENTINI *Act. phyſ. med. Vol. II. p. 276.* Si etiam non ſemper letali ore ſumtae fuerunt, tamen plerumque grauiſſima et incredibilia ſequuntur ſymptomata, quae ratione modi, quantitatis, temperamenti, aetatis, ſexus, morbi praegreſſi, conſtitutionis corporis, et antidoti exhibiti quam maxime differunt, nam ſubiectis ſenſilibus, delicatulis, hyſtericis, hypochondriacis, ſanguineis, biliosis, terrifica inducunt ſymptomata. Omnes ſere actiones vitales, animales et naturales vna bacca in ventriculo haerens turbauit, BOERHAAVE *De morb. neruor. p. 371.* igitur fructus interne numquam vſurpari debent. BOECLERI *Cynoſur. p. 320.* Baccae efficaces creduntur in re venerea. SCHENCKII *l. c.* Mirandum vtique eſt, conſuetas euacuationes fere omnes aut aboleri, aut impediri; ſolam diureſin vero eſſe frequentem (quam qualitatem diureticam *Belladonna* cum omnibus Solanis communem habet,) AETIVS *Tetr. I. Sermo I. p. 56.* HORST. *Oper. II. p. 488.* LEWIS *Mat. med. Samml. auserleſ. Abhandl. Vol. II. Leipz. 1774. 8. p. 108.* MATTHIOLI. In quinque aegris crebram mictionem obſeruauit FABER *Strychnom.* et inuoluntariam DU MOULIN *Journ. de med. T. XI. p. 119.* Vrina erat tenuis, aquoſa, pallida, frequens et magna copia *Eph. Germ. T. II. obſ. 60.* In aliis vero vrina penitus ſuppreſſa fuit, vt aegrotus non niſi guttatim lotium emittere valeret *Journ. de med. T. XI. p. 509. Acad. reg. ſc. 1756.* ſimiles effectus contrarios etiam reſpectu alui obſeruauit HOFFMANNVS, qui aſſerit, aluum adſtrictam *Medic. ration. p. 273.* cauſſari, teneſmum et tormina FABRI *Strychnom. p. 13. obſ. 5.* ſed LEWIS *Mat. med. p. 550.* aluum ſolutam, et VANDERMONDE ani et veſicae ſphincteris laxationem *Journ. de med.*

T. XI.

T. XI. p. 119. Faex aluina erat alba inſtar calcis WEINMANN. *T. I. p. 138.* ob defectum tincturae bilioſae. HASENESTIVS *Act. phyſ. med. Vol. III. p. 282.* vehementiſſimos, ſed etiam admodum ridiculos effectus notauit. Perſpirationem a baccis augeri, GATAKER duobus exemplis refert, et inde ad hydropem curandum ſuadet *Obſeruations on the internal Uſe of the Solanum. p. 82.* Sudorem largiorem FABER *Strychnom. p. 4. obſ. 1.* obſeruauit, et capillos madide rigentes *Eph. Germ. T. II. obſ. 60.* Cutis deprehendebatur ſicca, ardens, rubefacta SAUVAGES *Noſol. method. T. V. p. 497.* Deglutitae baccae ſtrangulant oeſophagum, lingua tegitur albo et ſpiſſo muco, *Hiſtoire de l' acad. des ſc. p. 72.* ZORNII *Botanol. med.* OETTINGERI *Diſſ. p. 5.* Dentes fortiter compreſſi erant, vt inſtrumento aperiri oportebat MAY *Hann. Magaz. 1773. n. 97.* in aliis aqua cum magna difficultate ſumitur, ſed bolus ſine faucium laeſione aut dolore, inito conatu deglutiri non poteſt, GESNER. *Lib. I. epiſt. c. 34.* GMELIN *l. c.* FABER in nouem aegris *Miſcell. N. C. dec. 3. ann. 9. 10. obſ. 92.* BONETI *polyalthes. T. II. p. 566.* nam ſpaſmum pharyngis peculiariter prae omnibus Venenis vegetabilibus et ſemper inducit, *Belladonna*, de quo PELARGVS *Obſeru. clinicae: M. Oct. 1722. p. 479 ſq.* fuſe egit. Baccae deglutitae crebros excitant vomitus, DEHNE *Commerc. litt. Nor. 1743. p. 61.* MANGETTI *p. 814.* ſitim inexplebilem et intenſiſſimam, WEPFER *De cicut. aquat. c. 17. p. 227.* *Adverſ. med. pract. Vol. I. P. IV.* cum ſtridore dentium et conuulſionibus MVRRAY *Apparat. medicaminum. Vol. I. p. 431.* Ruſticus vero ſiccitatem oris absque ſiti ſentiebat, *Hiſt. de l' acad. Journ. de med. T. XI. p. 509.* vocem raucam et obſcuram MANGETTI obſeruauit. Ob continuitatem tunicarum, a ventriculo ad oeſophagum et palatum, fertur illa adſtrictoria et exſiccans qualitas, quae primum per laryngem et linguam diffunditur. Sapor inde deletur GVERINI *Diſſ. veget. de venenat. Alſat.* ob amaritiem oris, *Aduerſ. med. pract. l. c.* oriuntur borborygmi,

rygmi *Hist. de l'acad. des sc. p. 72.* appetitus deprauatus, HOFFM. *Medic. rat. p. 273.* DE HAEN *in Indice p. 58.* dolor et inflammatio ventriculi HALLERI *Stirp. Heluet. T. III. obs. 185. Pharmac. Heluet.* et intestinorum, *Commerc. litt. Noric. 1743. hebd. 8.* digestio languida, HOFFMANNI *l. c.* abdomen tumidum, DE LAUNAY *Acad. reg. sc. 1756. p. 72. Fränk. Samml. p. 44.* hypochondria valde tensa MANGETTI *p. 814.* WEPFER *De cicut. aquat.* Baccae *Belladonnae* in ventriculo commorantes, varios motus distorsiuos excitarunt, qui, his vomitu eiectis, cessarunt, quamquam procul dubio baccarum particulae, ad semen et pelliculam consumtarum, sanguini immixtae essent. WAGNERVS *Ephem. Germ. dec. 2. a. 10. obs. 108.* WEPFER *p. 227.* et MANGETTI *l. c.* cardialgiam inde describunt. Sopiunt vim irritabilem neruorum ventriculi, adeo, vt vix quatuordecim grana tartari emetici vomitum excitarent THEMEL *Obererzgeb. Journ. Annab. 8.* MVRRAY *loc. cit.* Tristissimae comprobarunt experientiae, *Belladonnae* fructus non in primis viis solum effectus prodere venenatos, sed etiam organis vitalibus summopere esse contrarios, secundum placita Cl. virorum. Nonnulli conqueruntur de angustia pectoris, FABRI *Strychnom. p. 13. obs. 5.* de difficultate respirandi, *Acad. reg. sc.* GMELIN. MANGETTI. HOFFM. WEPFER *De cicut. aquat.* et stertore, FABRI *Strychn. p. 9. obs. 2.* de respiratione violenta, parua, crebra, anxia, *Ephem. Germ. T. II. obs. 60.* anhelitu difficili cum succussationibus frequentibus, FABER *l. c.* alii quasi mortui nullum trahebant spiritum, MANGETTI *T. IV. p. 814.* in aliis pulsus languidus, depressus, paruus, HOFFM. *lib. cit.* exilis, contractus, durus, FABER *p. 4.* admodum frequens *Hist. de l' acad. p. 72.* celer et debilis MANGETTI. WEPBER *c. 17. p. 227. Ephem. Germ. T. II. p. 216.* deprehendebatur, in aliis pulsus erat celer et inaequalis, cum calore vehementi, stertore, difficili respiratione, spasticis artuum motibus, linguae balbutie LAMBERT in PRESTWICH'S *Poisons. p. 132.*

et faucium inflammatione, RAV *Act. phyſ. med. Vol. X. obſ. 24. p. 91.* Tremorem et inſaniam BOECLERVS *Cynoſ. mat. met. P. I. c. V.* amentiam VIERVS *de praeſt. daemon.* ſoporem MAPPI *Hiſt. plant. Alſat. p. 36.* BOECLER *l. c.* VALENTINI *obſ. 118.* torporem HOFFMANNVS *Medic. rat. p. 275. §. 7.* vidit, et ſtuporem mentis producunt adeo, vt nullum aliud quid in rerum natura tam celeriter ſanum et intelligentem hominem, ſtolidum et ſtupidum reddere poſſit, quam hoc narcoticum. Somnolentiam, mentem alienatam, inſomnia, terroris et phantaſmatum plena, ſpectraque conſpicua ASTAPEL *p. 1078.* lethargum, *Eph. Germ. dec. 2. a. 10. obſ. 108.* ſomnum altiſſimum, inexpugnabilem et ſemiſepultum VIERVS *De praeſt. daem. p. 315.* ſuffocationem TIMMERMANNI *Diſſ. de Belladonna. p. 3.* temulentiam, FABRI *Strychnoman.* vertiginem, DE HAEN *In Indice p. 58.* quem et ipſe EVERS *Berl. Samml. T. V. p. 565.* SCHMVCKER. *l. c.* vires inueſtigando, expertus eſt; furorem, SCOPOLI *Flora Carniolica. p. 288.* SENNERTI *opera. Lugdb. 1676. fol. L. VI. P. VII. c. IX. p. 276.* VATERI *l. c. p. 853.* maniam, CRANTZII *l. c.* DU MOULIN. HOFFM. MATTHIOLI. motum conuulſiuum, *Fränk. Samml. T. III. Comm. litt. Nor. 1743. p. 61.* et delirium, MAPPI *l. c. p 36.* cui mox tetanus ſuccedebat, LINDESTOLPE *De Venen. Frf. 1739. 8.* baccae producunt. Conuulſionibus aegri laborabant enormibus, MASDORF *Diſſ.* BOULDVC *Acad. reg. ſc. 1703. p. 56. Pharm. Heluet. Comment. Lipſ. Vol. XIII. p. 250.* BOUCHER *Journ. de med. T. XXIV. p. 310.* epilepſiam veram mentientibus, GLIMM *Ephem. German. T. II. obſ. 60. p. 216.* membra torquebant, MANGETT. WEPFER. LEWIS. *Mat. med.* mordent et dilacerant, quaecunque in manus veniunt *Journ. de med. T. XI. p. 119.* Colorem brachiorum coeruleum inde annotauit FABER. Paralyſin pedum, *Journ. de med. l. c* capitis debilitatem, *Hiſt. de l' acad. des ſciences.* riſum Sardonium et cachinnos, *Comment. Lipſ. l. c.* RAII *Hiſt. plant.* FABRI *Strychnom. p. 4. obſ. 1.* arthri-

thritidem vagam in facie et maxilla inferiori, GMELIN *l. c.* et in toto corpore, *Hist. de l' acad. des sc.* febrem acutam, STENTZEL *De Venen. acut. p. 61. Comment. Lips. Vol. XIII. p. 250.* anxietates, *Commerc. litt. Nor. l. c.* maniam, BLACKWELLI *Collect. stirpium,* et apoplexiam letalem *Eph. Germ. dec. 2. a. 10. obs. 108.* produxit. Quod attinet ad sensum visus, CAMERAR. in puero, qui has baccas deglutiuerat, coecitatem obseruauit, nullo apparente oculorum vitio WEPFER *c. 17. p. 227.* palpebris diductis pupilla perstitit immobilis MAY *Hann. Magaz. 1773. n. 97.* PRESTWICH'S *Poisons. London. 1775. 8. p. 132.* Baccae quindecim oculis varias insectorum imagines, tamquam lemurum ludibria obuolitari fecerunt. Immo in legendis libris praeter candidum marginem, nigris areis circumfusum, nihil agnoscere quidam potuit SCHENCK *Obs. medic.* Balneator curiositatis gratia vnam baccam ore comprimebat, et degustabat, postmodum succum exspuebat, cui mox vesicula in palato excitabatur, qua linteolo rupta, humor emanabat flauus, dulcis, ac eiusdem plane cum baccis, saporis, sine dolore tamen alioue incommodo FABRI *Strychnom. p. 18. obs. 13. et p. 11.* Quisnam est, qui non a fructibus, eiusmodi symptomata producentibus, abhorreret, quod assistentibus variis autoribus satis superque comprobatum esse videtur. Ne vero diutius quam par est, his exemplis immoremur, et potius commentationem spissi voluminis, quam solitam Dissertationis molem conscribere videamur, pedem hinc mouere placuit.

§. X.

Seminis Belladonnae vires venenatae.

Supereſt, vt nunc pariter breuibus agatur de seminis effectu. Fructus et semina mucagine volatili praedita esse BOECLERVS *Cynos. mat. med. pag. 320.* recenset. Hinc semini huic vrinam ciendi vis adscribitur KOENIG *Regn. veget. quadrip. p. 1023.* GALEN. *De simplic. medicam. facult. L. VIII. p. 127.* minime vero hoc semen ad calculum arcendum et diure-

ſin promouendam OETTINGERVS *in Diſſ. de Belladonna tamquam ſpecifico in cancro occulto*, commendat, quia meliora et tutiora proſtant, quibus hiſce indicationibus ſatisfacere poſſumus. Symptomata grauiſſima, ab eſu ſeminum *Belladonnae* orta, deſcribuntur *In Nouis Act. N. C. Vol. II. ao. 1761.* De *Belladonna* in genere, nihil hic loci addam, niſi quod commonefaciendos horti cultura ſeſe oblectantes parentes arbitrer, vt ſolitariam hanc plantandam curent, quum ob fructuum ſimilitudinem et elegantiam, quae aemulatur matura ceraſa nigra, facile inuitet, aut pelliciat infantulos, vt iis veſcantur, ſed quoque enecentur, aut fatiſcant, quod magno ſuo infortunio et dolore D. MVNTING, Groeningenſis medicus, in binis propriis liberis expertus eſt VALENTINI *Act. phyſ. med. Vol. II. p. 274.* Poſt varios infortunatos caſus, Erlangae, iuſſu magiſtratus, nonnulli frutices *Belladonnae*, baccis maturis ornati, in foro publico ſuſpenſi fuerunt, vt inſciis ciuibus loco admonitionis eſſent, GOECKEL *Fränck. Samml. T. III. Nürnberg 1758. 8. p. 46.*

§. XI.

Mutationes in cadaueribus Belladonnae vi exſtinctis repertae.

Licebit mihi, adiicere adhuc nonnullas obſeruationes, quas in cadaueribus, hoc viru deletis, quidam celeberrimi Viri memoriae prodiderunt. MAPPVS ciuem vidit, qui ab aſſumtis duabus libris vini albi, ſucco *Belladonnae*, ad colorem rubrum conciliandum, infucati, ſubito mortuus eſt, gangraena ſuccedente vniuerſali per totum corpus, quod breui totum nigredine infectum fuit, et ita flaccidum redditum, vt cuticula chirurgi manibus adhaereret, cum illud, iuſſu magiſtratus, ſectioni ſubiicere, et in morbi cauſſam inquirere conaretur. Superficiem ex nigredine coeruleſcentem, exuſtiones ſubito in putredinem abeuntes, inde foetorem intolerabilem, vt hora a morte duodecima, nemo ſectioni adeſſe cuperet, GMELINVS *l. c.* deſcri-

ſcribit, in eiusdem cadaueris facie, pectore, abdomine, dorſo et artubus erant puſtulae latae, coeruleſcentes. WAGNERVS *Ephem. Germ. dec. 2. a. 10. obſ. 108.* obſeruauit totum corpus paullo poſt mortem incredibiliter tumens, ex ore, naribus et oculis ſanguinem ſpumoſum, ex abdomine, ſcroto, pene, tactu lapidis in modum duris, aquam foetidam ſpumoſam effluentem, et cultros anatomicos arrodentem. Sub diſſectione apparuerunt ventriculus, inteſtina, meſenterium, hepar, pulmones, inflammata SCHRECK *Act. acad. N. C. Vol. IV. obſ. 41.* ſed hepar et pulmones inflammata negat GOECKEL *Fränk. Samml. Commerc. litt. Noric. 1743. p. 61.* immo in ventriculo tria occurrebant loca eroſa BOULDUC *Acad. reg. ſc. 1703. p. 56.* Filiolam quinquennem diſſecuit GOEKELIVS *Fränk. Samml. T. III. p. 44.* cuius abdomen tumens, et inteſtina flatibus diſtenta, ſed neque inflammata neque laeſa; ventriculus vero cum duodeno inflammatione correptus erat. Splen, renes, veſica fellea et vrinaria, itemque oeſophagus, nulla habebant inflammationis veſtigia. Splenem putrilaginoſum vidit GMELINVS, itemque cerebrum. Ventriculum et inteſtina inflammata, vaſa omenti et hepatis praetumida vidit HALLERVS *Hiſt. ſtirp. Heluet. T. III. Bernae, fol. p. 185.* et in ventriculo pelliculas a baccis relictas; in alio baccas immutatas *Journ. de med. 1759. Aug. 1766. Apr.* inuenerunt. FABER inter ſigna pathognominica hoc Veneno demortuorum refert: adſtrictionem orificiorum ventriculi, ſiccitatem tunicarum, plenitudinem vaſorum vrinariorum. Dorſi et extremorum a colore liuido coeruleoque contaminationem. Spumam oris et narium, deiectiones poſt mortem, rugitus hypochondriorum *Strychnom. p. 84.* Corpus diſtendebatur poſt mortem, ac coeruleo colore tingebatur, praeſertim in extremitatibus digitorum, ac ſpumam ad alteram vſque diem ore eructabat *Lib. cit. p. 14. obſ. 6.*

§. XII.

Historia propriae obseruationis.

Operae pretium facturus esse videor, in scribenda Dissertatione inaugurali, propriam afferre obseruationem, quae mihi contigit, dum tyrocinia pharmaceutica Hamburgi, sub auunculi mei, OHRTMANNI, Viri in hac arte peritissimi, directorio ponerem. Desiderabatur a medico prudentissimo et felicissimo D. REIMARO extractum *Belladonnae.* Quam herbam recentem vna cum floribus et fructibus subtilissime conscindens, ad tincturam eo melius extrahendam et excoquendam, inauspicato guttula herbae, vel baccae succulentae in oculum meum dextrum inspergitur. Hoc sentiens, incassum hanc exiguam oculi irritationem manibus amouere intendo. Vix tria horae minuta praeterlapsa, irritatione cessante, aliqua huius oculi oriebatur obnubilatio, quae singulis crescebat momentis. Post horae quadrantem plena oriebatur coecitas absque vllo dolore, altero oculo superstite sano. Pessimum inde metuens, OHRTMANNVS, acetum rutaceum et bezoardicum intus sumendum mihi propinabat, externe vero oculum aqua frigida absque effectu eluebam. Quo facto ab Exp. REIMARO consilium petens, tribus hebdomadibus peractis, pristina oculi sanitas restituebatur. Historia huius obseruationis ex Cel. REIMARI litteris ad me datis, qui meo, de *Belladonna* scribendi, consilio stimulos addidit, optime lucebit:

„Quod attinet ad oculum Tuum, *scribit*, olim, inter con„scindendum *Atropae Belladonnae* herbam, ita affectum, vt per „aliquod tempus fere visu priuaretur, probe memini. De„prehendi nempe iridem eius oculi adeo resolutam et paten„tem, vt fere dimidiae tantum lineae latitudo ambitus superes„set, ampla vero choroideae nigrities transpareret. Iam, cum „effectum similem ab ore assumta *Belladonna* obseruari nossem, „non dubitaui, quod ipse Tu quoque suspicatus fueras, ex„terne applicatum Venenum idem efficere posse, et ab insper-

„so

„ſo inter parandum ſucco paralyſin illam ortam, quam tamen „duraturam haud eſſe ſperaui. Interius iam acetum quoddam „concentratum aſſumſeras, in cuius vſu pergendum eſſe ratus „ſum: ſuaſi tantum, vt ſimul ad irritandos neruos exterius vo„latilis oleoſi ſpiritus vapores oculo aegro admitterentur. Siue „igitur ſponte, ſeu his adiuuantibus medicamentis, factum eſt, „vt ſenſim et viſus oculo et contractio pupillae redirent —. „Ego vero mecum reputans, iſtam *Belladonnae* vim haud ſper„nendo in chirurgia vſui eſſe poſſe cogito. Nempe cum in „excidenda lente cryſtallina, ſicubi pelluciditatem amiſerit, haud „leue impedimentum obiiciat irritatio et contractio nimia pu„pillae, adeo vt ſaepe iris per educendam lentem laceretur; „quidni ſucco *Belladonnae* paralyſin illi innocuam per aliquod „tempus inducimus? Nec ſolum extractio lentis inde longe fa„cilior obtineretur, ſed et ſimul illud incommodi, ne oculus „repentino lucis ſenſu laederetur"

Placuit inprimis hoc propoſitum, quia in ſcriptis immortalis et fide digniſſimi BOERHAVII, vt vnicum tantum excitem teſtimonium, inueni: „Baccas *Solani melanocerasi* in oculo nil mali facere." *De morb. neruor. p. 371.* quod aliorum Virorum experientiae et meae contradicere videtur. Patet inde, vſum *Belladonnae* ab aliis innocuum, ab aliis ſalubrem, a plurimis noxium et deleterium habitum fuiſſe. Igitur non ex contradictionis cupidine, ſed veritatis gratia perpauca experimenta commemoranda cum animalibus ſumma inſtitui cura et attentione. RAIVS *Hiſt. plant. L. 13. c. 23. p. 680.* fere idem phaenomenon et effectum, haud diſſimilis tenoris, obſeruauit, quem egomet ipſe expertus ſum, dicens: Nobilis domina vlcuſculo paullo infra oculum, cancroſo, folii *Belladonnae* recentis particulam impoſuit, quae noctis vnius ſpatio vueam oculi tunicam adeo relaxauit, vt omnem explicandi ſeſe, et pupillam contrahendi facultatem ei adimeret: ſiquidem pupilla clariſſimo lumini obuerſa dilatata perſtitit, ſocio et pari

ſuo

ſuo plus quadruplo amplior; donec amoto folio vuea muſculoſam vim ſuam et tonum paullatim recuperaret. Atque hoc, ne quis caſui imputet, tribus diſtinctis vicibus in ſe ipſa cum eodem effectu domina experta eſt V. SWIETEN *in Boerh. Aphor. T. III. p. 363.* Hic oculorum morbus ſub nomine *Mydriaſeos*, ἀπὸ τȣ̃ ἀμυδρῶς ὁρᾶν, quod eſt obſcure et exiliter videre, cognitus eſt, et oritur, ſi pupilla colore quidem nihil abalienatur, multo vero latior, quam pro naturali ſtatu euadit, vt aliquando ad iridis circulum accedat, et quandoque totum viſum impediat, IONSTONI *Medic. pract. Amſtelod. 1652. 8. l. 8. c. 6. p. 438.* aliquando tamen vident, verum obſcure, et quae videntur ab ipſis, omnia minora putantur. Fit haec affectio propter humorum allapſum, qui aut aceruatim aut paullatim feruntur, a quibus citra ſenſum tunica vuea diſtenditur, et pupilla amplius dilatatur. Haec affectio ſaepius pueris ob tunicarum debilitatem accidit. Non omittendum eſſe puto, demonſtrare, hanc plantam non eſſe vnicam, a qua viſus debilitatem, caliginem, immo coecitatem iure metuimus; ſed a pluribus venenatis vegetabilibus tale ortum fuiſſe phaenomenon, tam ab vſu externo, quam interno, varii auctores teſtati ſunt. Sic ſimilem fere noxam ab imprudenti applicatione Opii, Mandragorae, Hyoſcyami, ad oculorum grauiſſimos dolores ſopiendos, ſe obſeruaſſe ſaepius, teſtatur GALENVS *Method. medendi l. 3. c. 2. Charter. T. 16. p. 58.* a ſucco Euphorbii, eſulae, coecitatem SCOPOLI *Flora Carniolica.* a Cicuta, caliginem oculorum AEGINETA. STEPHANI *Medicae artis principes 1567. fol. p. 547.* oculos toruos a ſemine Stramonii SWAINE *Comment. Lipſienſ. Vol. VII. p. 82.* debilitatem viſus a ſucco Mandragorae SENNERTI *opera Tom. V. Lugdb. 1676. fol. cap. X. p. 277.* ab Opio in cane SPROEGEL *Diſſert. de experimentis circa varia Venena. Goetting. 1753. p. 33.* a ſemine Daturae Indicae, STROMEYER *Diſſ. de plant. ſolanaceis. Goetting. 1772. p. 19.* HOFFMANNVS; ab Aconito napello MANGETTI *Biblioth.*

medico

medico-pract. Tom. IV. Geneuae 1697. l. XVIII. p. 777. ab Hyoſcyamo, vt poſtea perſpicillis illi opus eſſet WEPFER et MVRRAY *Apparat. medic.* Lolio temulento ineſſe quid, quod oculorum laedat aciem, OVIDIVS canit: — *Et careant Loliis oculos vitiantibus agri* — A Veratro albo, Solano vulgari, Anemone pulſatilla, Ranunculo ſcelerato et bulboſo, Conio maculato, GMELINVS *Von giftigen Gewächſen.* aliique obſeruarunt. Singulorum effata et obſeruationes probandi ſcopo hac vice compilare et huc transferre nolo, ne Diſſertationis limites transgrediar.

§. XIII.

De experimentis inſtitutis.

Iam quis mihi vitio vertet, ſi de remedio inueniendo ſollicitus ſum, quod in aliquo malo effectum magis deſideratum producere poſſit. Haec varia ſymptomata perpendens, de quibus fuſe egi, cogitabam etiam de experimentis cum animalibus inſtituendis, vt viderem, an phaenomenon illud, in oculo meo obſeruatum, quoque in animalibus tale ſe praebeat. Igitur ipſe *Belladonnae* vires exploraturus, inſpergebam felis manſuefacti oculo dextro ſuccum ex herba expreſſum, ſiniſtro vero baccarum ſuccum. Sed quem fugit, ſi felis vel noctua, in loco prorſus obſcuro conſtituatur, nullum omnino fulgorem, nullamque lucem apparere, quae tamen illico ex oculis refulgebit, ſimulac in eum locum tantillum luminis admittatur. Habent horum animantium oculi illud prae caeteris ſingulare, vt non ſolum pupilla multo ampliore iridi liberiore, nullaque parte cohaerente cum cornea, ſed hac etiam tenuiſſima gaudeant, et praeterea plus quoque humoris aquei inter corneam et humorem cryſtallinum magis remotum a pupilla, propiorem vero retinae, gerant, ac demum choroide non nigricante, et obſcura, ſed pallide flaueſcente, aut coerulea ſint praediti. Huius felis tunica adnata his ſuccis madefacta, mediante pluma, vna hora vix praeterlapſa, vuea adeo dilatabatur, tamen multo magis ocu-

lus dexter, quam ſiniſter, vt haec rima plus decuplo maior, et quidem in figura circulari euaderet, quae antea oblonga erat. In oculis praeterea nil mali ſeu obſcuri obſeruabatur. Felis ſibi relicta, vacillans ab initio quaſi temulenta, at paullo poſt ſolito iterum incedens paſſu, demiſſo capite, pedibus anticis ſtimulum productum ab oculis amouere tentabat. Poſt horarum duarum interuallum hoc phaenomenon prorſus euaneſcebat, et rima anguſta longitudinalis in ambobus oculis redibat. Hoc experimento reiterato cum ſucco herbae in oculo dextro, cum ſucco baccarum in ſiniſtro, paullo poſt vueae ad priſtinum circulum dilatabantur. Sequenti mane iterum euanuit pupillarum dilatatio; igitur tertia vice hoc experimentum inſtituens, quidem idem apparuit, ſed hoc cum diſcrimine, quod duodecim horis praeterlapſis adhuc immobiles reſtarent pupillae, quo facto cultro anatomico felem ſubiiciebam praeſentibus amicis integerrimis Cl. HEBENSTREIT et GERISCHER. In primis viis, in pectore, abdomine, et cerebro, nullam inueni mutationem. Sed oculum inquirens, vuea admodum verſus ſcleroticae parietem, cui choroidea adhaeret, flaccida, ſimulque ita retracta erat, vt pupilla decuplo maior eſſet, ac eſt in ſano felis ſtatu; humor aqueus pellucidus, vitreus vero tenuis, fere aquoſus, pellucens erat. Lens cryſtallina nullo modo erat obſcura, tamen admodum mollis. Quum etiam ROSSI ſcribat, canes, gallos, pullos, auiculas nullo inflammationis ſigno aut dolore perturbari, dum horum oculi pluma hoc ſucco madida tangantur; cum duabus auiculis, hirundine et alauda hoc inſtitui experimentum methodo praeſcripta; et teſtificor, hoc cum veritate optime conſentire, ſed hirundini et alaudae nil mali inde contigiſſe, nam ſuccus applicatus ſtatim a punctulis lacrymalibus reſorptus fuit. Hoc phaenomenon in oculis felis obſeruatum, nonne optime reſpondet RAII hiſtoriae, quam (§. XII.) allegaui? Ill. VAN SWIETEN *Tom. III. p. 364.* contendit, pupillae paralyſin, ſecutam a *Solani furioſi* particula, vlceri

ceri applicata, facile tolli posse, hanc caussam remouendo. Haec sententia cum Exc. REIMARI iudicio (pag. 35.) comparata, de applicatione *Belladonnae*, ad paralysin oculi innocuam temporariam inducendam, vt lentis extractio inde facilior obtineretur, optime quadrare mihi videtur. Absoluta itaque de *Belladonnae* viribus, tam salutaribus, quam venenatis, prolixiore tractatione, denique mihi agere licebit de *Belladonnae* Antidotis.

§. XIV.

De Belladonnae Antidotis.

Nullum datur Venenum, quod non Antidotis gaudeat. Quis igitur plantae Meae haec denegaret? Non vero vnum existit Antidotum, sed plurima, quae cum effectu exoptatissimo exhibita fuerunt, et hoc malum eradicauerunt. Generaliter hac de re iudicat FABER *Strychnom. p. 87.* si hoc Venenum adhuc in primis viis haeret, exhibendum est vomitorium; si iam in intestinis, potulenta multa; si ad intestina crassa, vel purgantia, vel enemata; Diuretica caueantur omnino, vt et diaphoresis. Alexipharmaca dantur 1. sine mora. 2. cum delectu, vt theriaca, mithridatium. 3. vsurpentur cum perseuerantia. Antidotum praecipuum, quod BOERHAVIVS *De morb. neru. p. 373.* vt praesentissimum remedium opponit *Belladonnae*, est vomitus, per gillam Theophrasti, quia per vomitum inductum, tempestiue adhibitum, baccae partim integrae, partim emollitae, partim ad semen vsque, et pelliculas consumtas, educuntur et exturbantur, et magna aceti copia HILL *The vegetable system. Vol. VIII. p. 30. Comment. Lipsiens. Vol. VII. p. 214.* Syrupum emeticum, clysmata emollientia, leniterque laxantia, tandem oxymel, acetum vini, succum citri et serum lactis exhibuit BOUCHER *Journ. de med. T. XVIII. p. 144.* BOECLER *Cynos. mat. med. p. 320.* ventriculoque theriacam dilutam imposuit. Femina, cui adstantes mature oleo lini vomitum procurauerant, prae aliis tempestiue conualuit VALENTINI *Prax. medic. Giessae 1710. 4. p. 544.* Obseruatio docuit, lac tepidum

cum oleo Amygdalarum dulcium largiter ſumtum, ventriculum ad emeſin prouocaſſe, et tali modo deleteriam maſſam reiectam fuiſſe. *Act. phyſ. medic. T. VI. p. 165. obſ. 61.* Alia etiam laudantur emetica, inprimis antimonialia, tartarus emeticus, ſapa vomitoria Syluii, infuſiones antimonii, ex vitro antimonii aut croco metallorum. LAMBERT in PRESTWICH *of Poiſons p. 133.* exhibuit gr. xv. vitrioli albi Quoad delectum aceti, diuerſos diverſa iuuant. Aceto bezoardico baccarum *Belladonnae* virulentiam PELARGVS *Obſeru. clinic. menſ. Oct. 1722.* Aceto Lauendulae FABER infregit. At quid multis? Acetum ſimplex calidum MILLER'S *Plants. Vol. I. Lond. 1760. 4. p. 41.* MAY *Hann. Magaz. 1773. n. 97.* huic ſcopo ſufficiet, quod certo deglutitionem ex *Belladonna* impeditam, reſtituit, inprimis ſi ſimul acetum naribus offeratur, vel vapor eius ex ferro candenti naribus excipiatur. Operae pretium pariter facient ſucci alii vegetabiles acidi, et ſpiritus acidi minerales. Vinum meracius SCHENCK in *Obſ. med.* et vinum acidum HILL *lib. cit.* laudat. MACASIVS *in Promtuario mat. med. Lib. poſteriori c. II. p. 381.* commendat aſtacos et conchylia. Iuuant porro potus nitratus, acidulatus cum ſpiritu ſalis; aſperſio aquae frigidae in faciem; puluis tabaci naribus immiſſus; frictio plantarum pedum cum ſetis. MAPPI *Plant. Alſat. p. 36.* Alexipharmaca cum antepilepticis BONETVS *Polyalthes. T. II. Genev. 1693. fol. p. 575.* cum ſucceſſu exhibuit, ad deleteriam *Belladonnae* qualitatem corrigendam.

Haec ſunt, quae de *Belladonna* collegi, obſeruaui, conſcripſi. Rerum propoſitarum multitudo peperit ordinis difficultatem, quam ſenſi, ſed mutare non potui; tempore excluſus, copia fere oppreſſus. Forſan, dum otium fuerit, emendatiorem hunc et nouis auctum obſeruationibus libellum, impoſterum dabo.